

www.e-rara.ch

Rapsodie historiarũ Enneadum Marci Antonij Loccij Sabellici Ab orbe condito Ad annum Salutis humane 1504. ...

Sabellicus, Marcus Antonius

Paris, 1509

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: IV B 20 | G - IV B 20: a | G

Persistent Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-70270>

Marci Antonii Coccii Sabellici in rapsodiam historiarum ab orbe condito. Praefatio.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Antonii Coccii Sabellici.

MARCI ANTONII COCCII SABELLICI IN RAPSODIAM HISTORIARUM AB ORBE CONDITO. PRAEFATIO.



RES OMNIUM GENTIUM A PRIMORDIO MUNDI ad meorum temporum memoriam scribere cogitanti occurrunt mihi plura uno tempore; quae velut ex operis vestibulo animam a tam audaci ne temerario dicam: absterreant incepto. Haec etiam multa sunt: duo praeter caetera praesenti videntur obstare consilio: & quae sit inexhausti operis professio immensam rerum seriem tot retro saeculis repetendam polliceri: quando in unius gentis soliusve populis rebus explicandis graecorum pluraque & ex nostris scriptoribus non pauci excellenti ingenio viri omne suum studium & operam consumpserint: Praeterea vetustis rerum monumentis partim temporum partim hominum iniuria deperditis: ea sit scriptorum inopia laborandum: ut si aetas: si ingenium: si caetera constarent: vix tamen possit contingere ut perpetuus historiae cursus ad exitum perducatur. Sunt proculdubio haec tanti: ut is quem ab omni scribendi conatu non auerterint nimium audax (& ut verius dicam) demens merito existimari possit. Sed quod ad rei magnitudinem attinet: spes quae ab initio sola bonorum omnium (ut Hesiodus scribit) reliqua fuit homini: diu multumque hortata est ut quantumcumque inde pretenderetur labor: cui nunquam (ut ingenue dicam) me parem futurum arbitratus sum: hunc ipsum intrepide capefferem: identidem admonens nihil tam arduum esse: aut tam difficile: quod non tempus conficiat & industria: Accedit huc propositi stili ratio: qui quo minus luxuriaturus est: eo minorem secum laborem videtur allaturus. Si quidem eo ad scribendum consilio venimus: ut media quadam via ingressi: non tam verborum copia quam rerum varietati studeremus: satis superque habituri: si quum breues & pressi fuerimus: neque obscuris neque ieiunis: ab illis qui in hanc lectionem inciderint iudicabimur. Nec (quod reliquum erat) adeo scriptorum multi perierunt: ut huius historiae series quamvis longissima continuari non possit: quae si non pleniore vbique habitu: quod uno alterove loco poterit accidere: legentibus visa fuerit: haud propter ea minus hilariter erit fronte excipienda: quam si quis periculoso servatus morbo: ex improviso occurrat: in quo etiam nondum pristinum corporis: aut nitorem: aut habitum receperimus: non tam formam ipsam quam quae servari contigerit gratulamur. Sed quae per deum tanta hinc poterit invidia conflare: ut non multo maior sit ex eo gratia expectanda: quam haec tam multa & a multis requirenda non stilo solum: sed ordine etiam & figura variantibus: una sit lectio omnibus datura. Quae ita fore confido: ut offensa illa: aut nulla futura sit: aut certe talis: ut ne ullus quidem sensus ad lectorem pervenire possit: nisi forte aliquis in hanc unam calumniam plus aequo fuerit intentus. Sed de his alii aequius iudicabunt: me vero: haud poenitebit unquam quod eo sim consilio haec scribere exorsus: ut a prima rerum origine ita susceptam auspiciamur historiam ut res humanae quarum series multo vulgatiores erant cum illis quas divinae litterae continent: neant arctissimo velut nexu iungerentur. Erit: nisi me instituti operis fallit amor: res non minus utilis: quam iucunda: ex certa quadam perspicuaque lectionis facie: quid divinae humanis praesent cognoscere quid terrenis coelestia: caducis perpetua & aeterna: in quo: haud facile dixerim: imprudenter ne magis an impie fecerint pluraque rerum scriptores: qui lucem aspernati in tenebris versari maluerunt: malorum demonum praestigias pro coelestibus complexi. Nec vereor quod quidam negant posse fieri: ut non haec cultum orationis & splendorem recipiant: ad quam rem perficiendam: si caetera defuerint: divinam operam mihi affuturam certo scio. Reddet itaque multiplex materia historia: quam valde delectabilem: tum cognitum multo utilissimam: quippe quae lectoris animum ab humanarum rerum admiratione non solum poterit auertere: sed a vana etiam persuasionem eorum quae mortales in tenebris constituti pro divinis habuerunt: ignari scilicet ad veri & singularis dei providentiam esse omnia referenda. Sed maiore illi venia digni quam plerique hominum quibuscumque hodie vivitur: qui quam lucem habeant oculis admotam tenebras sequuntur: & dum veterum rerum studio prisca illa intentius mirantur: summi regis mysteria leuissimi transfugae contemnunt: nec putant inepti homines posse fieri ut veterum scriptorum vestigiis videant insistere nisi prius & ipsi impie sentire coeperint: Quo fit ut quanto in dicendo sunt illorum virtutibus inferiores: quorum aemuli videri cupiunt: tanto divinarum rerum assertoribus sint animo infestiores: Sed tantum abest: ut vel horum fauorem mihi conciliatum velim: vel iudicium reformidem: ut ab ipsa mundi origine quae ethnici scriptores pertinaciter silentio praeterierunt: tanquam a nobilissimo aeternae illius maiestatis opere: ad cuius virtutem & providentiam omnia merito referunt: instituta haec rerum explicatio habitura sit principium. Fietque (ut opinor) id eo tutius: quo magis in ea re asserenda Platoni viro summo omnique stoicorum familiaris cum his quos sequimur convenire video: quorum virorum ductu ne errare quidem meo iudicio possit aliquis: vel quia sapientissimi fuerunt: vel (quod inter omnes: satis constat) veritatis amicissimi.

Stoicorum laus